QVAESTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE Iouis XXII. Ianuarij, Magiſtro PHILIPPO HARDVINO DE S. IAQVES Doctore Medico, Moderatore.

An pituitæ permixtione bilis vitellina?

MICROCOSMI totius œconomia duobus perficitur, & conſtat; nempe ἐκ τοῦ φέροντος, καὶ ἐκ τοῦ φερομένου : illud diuinum ἀναλλοίωτον ſemper manet; hoc vero ex elementorum diſcordi concordia genitum; vel ἐκλείψει τοῦ οἰκείου διὰ χρόνον ſuis viribus ruit, vel τοῦ ἀλλοτρίου καταμίξει alienis morborum quaſi hoſtium incurſionibus acerrimis proſternitur; cuius ſtructuram vt complet, & abſoluit perfectiſſima quatuor humorum ſymmetria, quum ipſi virtute & copia inter ſe iuſticiæ ritu quodam moderati; amico complexu vná miſcentur : Sic eandem auget, incolumemque tuetur; ſanguinis vitali ſpiritu (quià naturali nec materiâ, nec formâ diſtinguitur) perfuſi, à corde, & hepate : arteriarum quæ dilatantur, quia implentur, & venarum riuulis, in omnes partes diffuſi perpetuus affluxus; hi enim ſunt humanæ uitæ fontes, qui totum corpus irrigant, & in quibus anima quæ ad mortem vſque producitur, ſuam habet permanſionem momento perituram, niſi inſignis cerebri virtus accedat, quæ cordis inſitum calorem moderato frigore nutriat.

HVMORVM vna, ac ſimplex non eſt idea, ſed pro caloris efficientis robore, & aſſumpti alimenti materiâ, variæ ac multiplices eorum aſſignantur differentiæ, quarum vnaquæque ſingulis anni tempeſtatibus qualitatum ſimilitudine affinis eſt, & amica : vernum tempus, vt moderatum calorem gratioſo humore permixtum continet, ſic infinita morborum comitante caterua ὑγιεινότατον ſe præbet, calidique & humidi ſucci vitæ propagandæ accommodatiſſimi, luxuriantem copiam profert; cui ex aduerſo opponitur frigida illa, & ſicca maximeque νοσώδης antumni tempeſtas, vitæ principiis non minus infenſa, quàm in melancholici humoris propagatione liberalis, ac libera: hinc febres quartanæ Saturni filiæ, tunc temporis longiſſimæ, omnium tamen ſecuriſſimæ, apparent: æſtatis calore feruido ignis τὸ ἰσχυρότατον, & aquæ τὸ λεπτότατον primas tenent; vt vice verſa hyemis algore ſummo aquæ τὸ παχύτατον, & ignis τὸ λεπτότατον in cætera dominantur, huius aquea pituita, illius vero ignea bilis ſoboles eſt eximia.

ABILE, & pituita morbi omnes hominibus contingunt; vtraque vel naturę merito vel morbi alicuius vitio; aut per ſimplicem ἀναστροφήν, aut per alterius ſucci κατάμιξιν, oboritur: dulcis pituitæ primarius opifex cenſetur ventriculi innatus calor, qui immoderatior factus putridam, & ſalſam gignit; illa temporis ſucceſſu coquitur, & in viuentis ſubſtantiam demutatur: hæc quo diutius in partibus moram trahit, eo magis ipſis infenſa redditur, nec aliter in humano corpore, quam multorum capitum bellua in Lerna palude, vicina quæque ſui contagij labe inficit, ac pro vario putredinis foco multa, & grauiſſima infert ſymptomata: in ventre aluinam dyſenteriam doloris acerbitate, & curationis difficultate calamitoſam mouet: in hepate, & vaſis ardentem febrem accendit: in pulmonum rara, ac ſpongioſa ſubſtantia; maligni vlceris feritate grauem, ac tetrum ſpiritus odorem, nec non corporis totius viuifico nectare defraudati tabificum liuorem affert: denique in mentis arce Regiâ, ſola quidem lethargum; bile vero perfuſa biceps monſtrum (quod τυφομανίαν dicunt) gignit.

BILIS vt multiplex, ita multiplicem, ac varium generationis locum obtinet: quædam in ventre, & præcordiis: quædam in ipſo hepate, & eius vaſis producitur: cuius in cerebrum ἀναδρομὴ phrenitidem, aut apoplexiam pro varia quam occupat manſione inducit : hæc φλογώσει, potius quam ὀξεῖ febrem ardentem mouet; quæ pallida nuncupatur tenuis, & aquei humoris permixtione conſiſtentiâ, & colore dilutior euadit: quæ oui crudi luteum coloris, & ſubſtantiæ ſimilitudine referens λεκυθώδης appellatur, flauę bilis partium tenuiorum diſſipatione ſoboleſcit : eadem prorſus ratione qua dulcis pituitæ conſumptis à putrido calore portionibus aqueis, terreiſque aduſtis ſalſa fieri creditur. Salſi & amari ſaporis tanta eſt qualitatum ſympathia, & ſubſtantiarum affinitas, vt inferior ille dum ſiccioris, & magis intenſi caloris vehementiores impetus ſuſtinet, ad hunc ſuperiorem, μεταβολὴν faciat: hinc pituitoſus ille humor, cuius præſentiâ oris internæ partes perfunduntur, primum quidem alimento deficiente, ſalſedinis; poſtea verò ingraueſcente magis calore, amaroris ſenſum inducit.

ET TENVI, & aqueo humore temperata flaua bilis, dilutam ſubſtantiæ conſiſtentiam vná cum remiſſo calore, & diluto colore acquirit, pallidæque nomen aſſumit: ita craſſioris alicuius ſucci, & calidioris (qualis eſt ſalſa pituita) permixtione nouum temperamenti, & ſubſtantię modum conſequi nihil vetat, quo ouorum crudis vitellis prorſus euadat ſimilis: humorum enim (cum ipſi dicantur propria hominis elementa, totis per tota inuicem contemperata, & ex quatuor mundi primordiis compoſita) facilis eſt ab vno ad alterum tranſitus: potiſſimumque ſi ab ortus ſui principiis inſita ad mutationem potentia agentis viribus facilè cedat, nec numeroſa, quę intercedat mutatione, egeat: nam quibus eſt ſimilis ſubſtantia, iis mutari inter ſe fas eſt, ſic ſanguis exiguam alterationem conſequutus tum viſcerum omnium, tum muſculorum carni in alimentum cedit, oſſibus nutriendis antequam medullę naturam aſſumpſerit, ineptus.

Ergo pituitæ permixtione bilis vitellina.

Aſſerebat Lutetiæ, Guillelmus Gyon, Pariſinus. A. R. S. M. D. C. X. V.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Franciſcus Guenault.
M. Michaël Francier.
M. Ioannes Merlet.
M. Sephanus de la Fon, Prof. Reg.
M. Carolus Bouuard.
M. Claudius Charles, Prof. Reg.
M. Iacobus Letus.
M. Ioannes Riolan, Prof. Reg.
M. Andreas le Gros.